



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

34. Ne sacerdotes Domini, sicut vulgus solet, jurare compellantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

rant Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit dicens: *Vos dy estis, à vero Deo constituti. Ite, & inter vos causas vestras disponite: quia dignum non est ut nos judicemus deos.* Antiquitus in republica Principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuerunt.

Hinc est ergo quòd, exceptis criminibus, neminem sacerdotum Gregorius deponebat, immo pro qualitatibus delictorum venialiter communionem privabat.

Si quando igitur super sacerdotum criminibus erat aliquid ventilandum, cum summa districtione grandique cautela Gregorius uniuscujusque capituli modulos quærens, sententiam suam magis difficulter quàm faciliter promulgabat dicens: Dum cuncta negotia indagandæ sollicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad dejectionem sacerdotalium graduum sunt districtiùs trutinanda, in quibus non tam de humilibus constitutis quàm de divinæ quoddammodo benedictionis refragatione tentatur. Nam grave satis est & indecens ut in re dubia certa dicatur sententia.

Ne sacerdotes Domini, sicut vulgus solet, jurare compellantur. *Cornelius Papa Rufo orientali Episcopo.*

Cornel. Papa
epist. 2.
Burchard. lib.
1. c. 123.

XXXIV. Sacramentum hæcenus à summis sacerdotibus vel reliquis exigere pro fide relictum cognovimus, nec sponte eos jurasse reperimus. Summopere ergo sanctus Jacob Apo-

stolus prohibens sacramentum loquitur dicens: *Ante omnia autem, fratres mei, --- nolite jurare.* Hæc, fratres carissimi, ipse Dominus prohibet, id est, non debere jurare, sacramenta non exigi nisi pro fide recta. Hæc Apostoli maximè omnes hæc sancti viri prædecessores nostri, qui huic sanctæ universali & apostolicæ Ecclesiæ præfuerunt ante nos, hæc Prophetæ & reliqui sancti doctores per universum mundum dispersi ad prædicandum juramenta vetant.

De ecclesiastica controversia testes.

XXXV. Omnis controversia quæ de ecclesiasticis rebus fit, secundùm divinam legem sub duobus vel tribus testibus terminetur, dicente Domino: *Non unus stet contra alium, sed in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Similiter & de separatione conjugatorum, ut tres veraces homines hoc testificentur, si septem inveniri non valeant.

De medico malè curante.

XXXVI. Medicus infantem incautiùs curans, claudicantem effecit. Quæsitum est an gradum in clero talis mereri possit. Et visum est quòd hujusmodi debilitas, si alios bonos profectus ostenderit, eum à gradu non debeat prohibere.

De Clericorum tonsura.

XXXVII. Clericus si tonsuram dimissa uxore acceperit, qui quidem sit sine gradu, nec ad monasterium quodlibet à parentibus tradi-

Concil. Tri-
bur. c. 27.
Burchard. lib.
8 c. 97.